

spem nostram in homine, sed in DEO. Et cap. XXXI. ait: Quicumque aliquam picturam vel fusilem sive ductilem adorat statuam, non exhibet cultum DEO, non honorat angelos vel homines sanctos, sed simulacra veneratur. Agit hoc nimirum versutus & callidus humani generis inimicus, ut sub prætextu honoris Sanctorum, rursus idola introducat, rursus per diversas effigies adoretur. Adspiciamus picturam quasipicturam, vitâ, sensu, & ratione carentem. Pascatur hac visione oculus. DEVM verò veneretur animus; qui & Sanctis suis victoria coronam, & nobis intercessionis eorum tribuit adiutoria. Atque porrò cap. XXXV. ait: Nec iterum ad sua latibula fraudulenta recurrat astutia, ut dicat, se non imagines Sanctorum adorare, sed Sanctos. Clamat enim DEVS: Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Et Apostolus de Domino nostro, Mediatore DEI & hominum, Homine CHRISTO JESU: Propter quod & DEVS exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Quale verò hoc nomen sit, consequenter exponit: ut in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium &c. hanc potestatem, laudem, dominationem, hoc nomen quod est super omne nomen nullus sanctus angelus, nullus sanctus homo sibi usurpat. Angelus enim qui usurpavit, vel homo quem usurpare suasit, uterque corruiit. Atque hæc tunc fuit doctrina Ecclesiæ Francorum de invocatione Sanctorum, quorum hîc fit mentio, & secundùm quam hic locus intelligendus.

§. LV. Porrò hûc pertinent quoque laudes publicæ & solennes, & acclamationes Regibus factæ, Concilium Triburiense ann. 821. c. ult. Omnes Gallie & Germaniæ Principes. — & Ecclesiasticus Ordo, DEO